



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Capvt III. De Merito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

dum. Ex hoc argumento intulit hic Recentior, esse metaphysice impossibile non dari factores, fibros, &c. quia est moraliter necessarium illos dari in Hispania. atqui totus mundus est utique duplo major, & magis indigus factoribus. Verum hoc eodem argumento tam multa possent probari esse chymica, quæ certum est non esse, ut taceat in eo rejiciendo verba perdere. Contra Conclusionem

839. Objicitur. Potest voluntas simpliciter singulis auxilijs resistere, nullo excepto. Atqui singulis resistere, nullo excepto, est omnibus resistere; & singula frustrare, nullo excepto, est omnia, & totam collectionem frustrare: ergo potest voluntas simpliciter, & omnibus auxilijs resistere, & totam collectionem frustrare.

Retorquetur argumentum in Impotentia morali, quam omnes agnoscunt. Singulis auxilijs seorsum sumptis possum resistere moraliter; sed resistere moraliter singulis, est resistere moraliter toti collectioni: ergo possum moraliter resistere toti collectioni, quod adversarij negant. Parimodo non valet consequentia: Potest Deus singulos homines omnium possibilium producere: ergo totam collectionem omnium possibilium. Sed de Regula cognoscendi, quando non valet consequentia à sensu distributivo ad collectivum, dixi libro primo, probans existentiam Dei.

Rationem autem specialem, quare in præfenti materia non valet consequentia, deduco

ex quodam principio alibi explicato, nempe quod omnis actus liber voluntatis creata, in suo tendendi modo, & amplectendi objectum cum certa appropriatione, firmitate aut debilitate, quæ cuius actui ex essentia sua inest, habeat prædicatum essentiale, in quo intuitivè aut comprehensivè cognito, cognosci possit per evidentiam metaphysicam, quod si homo in eodem instanti habuisset debilius auxilium, in aliquo certo gradu debilitatis, non fuisset consenturus, aut contra, si habuisset fortius in certo gradu, fuisset consenturus. Quapropter sicut cujusvis individui existentia essentialiter est connexa cum negatione infinitorum individuorum non existentium, & ideo non valet consequentia à singulis ad totam Collectionem, ut dictum est, ita videtur quilibet actus liber habere essentiale prædicatum, quo transcendentaliter connectatur cum dissensu vel consensu, sub alijs conditionibus & auxilijs futuro; & per consequens, non valet consequentia à singulis ad totam collectionem.

Ad argumentum in forma facilis est responsio, cum sit vitiosum. Concessa majore, & minore, negatur consequentia. Major enim procedit de potentia; Minor de actu: & consequentia iterum de potentia. Debet ergo minor ita formari. Posse singulis resistere, est posse toti collectioni resistere. &

sic negatur minor juxta dicta.

CAPUT III. DE MERITO. CONTROVERSIA I.

Quomodo intelligenda sit Meriti Divisio, in meritum de Congruo, & Meritum de Condigno.

840. **M**eritum, prout consideratur in præfenti, estque effectus præcipuus Gratiæ elevantis, non malè definitur ab Oviedo: Obsequium doni supernaturalis. Hæc definitio abstracta à merito de condigno, & à merito de congruo. Meritum enim de condigno non solum est potens movere ad retributionem, sed etiam exigit hujusmodi retributionem, non item meritum de congruo. Nam homo peccator per contritionem meretur de congruo primam gratiam, & tamen non exigit illam; item, homo justus meretur de congruo Gratiæ & perseverantiam finalem, &

tamen non exigit illam, sicut exigit augmentum gratiæ sanctificantis, ut ex dicendis constabit.

841. Dividitur ergo in Meritum de Condigno, & Meritum de Congruo. Discrimen exponit S. Thomas in 2. dist. 27. q. 1. a. 3. Dicitur aliquis, inquit mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum secundum rectam æstimationem. Ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem donantis munus tribuitur, quod dantem decet. Eundem sensum facit, quod alij Theologi alijs verbis dicunt, meritum de Condigno esse meritum simpliciter, meritum de Congruo tantum secundum quid: Item, quod meritum de Condigno sit

gno sit meritum ex Justitia, seu habeat vim exactivam remunerationis, non item meritum de congruo, quod respicit Liberalitatem.

842. Magis adhuc explicatur à Card. de Lugo. Ad meritum de Congruo requiritur, ut opus tale sit, quod quidem æquale non sit præmio tali, possit tamen prudenter movere retributorem ad præmium tantæ præstantiæ largiendum. v. g. si privatus miles egregium facinus Imperatore dignum præstitisset, posset quidem Rex prudenter moveri ad dandum illi præmium etiam Imperatori conveniens, posset tamen etiam dare inferius præmium illo quod Imperatorem decet, absque eo quod miles conqueri posset. Quodsi verò Rex vellet stabularium ob curam equi benè præstitam, adoptare in filium, imprudenter agere censeretur, & ideo illa equi cura ne quidem de congruo meretur adoptionem.

Econtra, quando Militum Imperator seu Dux, egregiam de hoste victoriam refert, dignus est, quem Rex triumphalibus honoribus exornet, & majorem etiam auctoritatem in rebus bellicis concedat &c. ita ut nisi Rex aliquid hujusmodi aut æquivalens præstet, non censeatur Dux condignè præmiatus fuisse, cum præmium non esset æquale operi præstito à tali Persona.

843. Observandum autem est, quòd hic non accipiatur æqualitas operis ad præmium, prout accipi solet æqualitas in contractibus, quo sensu rectè negavit S. Paulus, condignas esse passiones hujus temporis ad futuram gloriam. Mereri enim, inquit acutè Card. de Lugo *disp. 24. de Pœnit. n. 10.* non est emere pro æquali pretio æqualitatem rei, sed est seminare apud æquitatem & gratitudinem Principis. quare æqualitas Meriti non est sicut æqualitas pretij, sed sicut seminis in corde Principis fecundissimi.

Colligitur insuper ex dictis, Condignitatem non residere adæquatè in intrinseca præstantia operis secundum se spectati, sed prout dignificatur à persona operante, ut deinceps dicetur.

CONTROVERSIA II.

Utrum Homo Viator possit aliquid apud Deum Mereri.

844. Doctrina Catholica est, hominem posse verè & simpliciter mereri apud Deum in ordine ad salutem æternam, cooperando Gratia quam accipit à Deo. Eccles. 16. *Misericordia facit unicuique locum secundum meritum operum suorum.* Sapient. 5. *Iusti in perpetuum vivunt, & apud Dominum est merces eorum.* Matth. 5. *Merces vestra copiosa est apud Deum.* & alibi passim.

Congruentia duplex est. Prima desumitur ex eo, quòd opera bona fiant cum respectu ad beneplacitum Dei: ergo sicut quando quis facit aliquid in alterius hominis utilitatem, meretur retributionem, ita quando quis facit aliquid in ho-

norem Dei, meretur retributionem. Secunda. Quia in omni Republica bene ordinata, capite non solum proponi penas ad absterrendum ab operibus malis, sed etiam præmia, ut alliciantur subditi ad opera Bona.

Testimonia Scripturæ, quibus videntur heretici, non faciunt ad rem, quia vel loquuntur de operibus Legis Veteris, quali adhuc essent necessaria ad Justitiam, quod negat Scriptura, vel de operibus purè naturalibus, vel de operibus factis in statu peccati: de quibus videndi Commentaristæ.

Inter DD. Catholicos est Controversia, utrum Merita hominis iusti habeant ex Natura sua Condignitatem ad præmium vitæ æternæ, vel solum ex promissione Dei. Negant condignitatem illam Durandus & VValdensis, quibus accedunt videtur P. Coniunk.

845. Dicendum tamen & affirmandum est, cum communi sententia, quæ probatur primis ex Scriptura Sap. 3. *Deus tentavit eos, & invenit illos dignos sè.* Ad Coloss. 1. *Non cessamus pro vobis orantes, ve ambuletis dignè Deo per omnia placentes.* & paulò post. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum.* 2. ad Thessalon. 1. *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Quæ omnia debent in sensu proprio accipi, cum nihil obstat, & longè firmiter ratio accedat, quàm quæ pro contraria opinione fuerit videtur.

846. Probatur. 2. à posteriori. Si dignitas operis ad præmium vnicè proveniret ex illa promissione Dei, sequeretur, quòd homo peccator eliciens contritionem, mereretur de congruo primam gratiam & Justificationem, consequens est absurdum. Sequela probatur. Non Deus hujusmodi actui promissit Justificationem.

847. Probatur 3. à pari. Peccata merentur penam quæ infligitur, de condigno: Ergo etiam Bona opera merentur de condigno præmium quod retribuitur. Antecedens fatetur universalitèr. Consequentia probatur ex comparatione quam facit Scriptura 2. ad Thessal. 1. *Iustum est apud Deum retribuere tribulationem ijs qui vos tribulant, & vobis, qui tribulamini, requiem nobiscum.* Item 2. ad Cor. 5. *Ideo contendimus sive absentes sive præsentès placere illi, omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut unusquisque referat propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum.* In his affirmatur apertè, exerceri à Deo Justitiam tam in retribuendo pro bonis quàm pro malis operibus: atqui opera mala non habent suam condignitatem & exigentiam ex promissione: ergo et bona opera. Hinc patet, ad probandam prædictam Conclusionem commodè afferri posse omnes illos Scripturæ Textus, quibus Gloria vocatur merces, & quibus Deus dicitur eam dare ex Justitia, quæ sanè sunt innumera; Sed eluduntur ab adversarijs, quòd fundentur in promissione. Ceterum promissio facta non excludit hujusmodi condignitatem & exigentiam, ut patet in parvis, quæ

quos Deus etiam minatus est. Quo sensu dixit etiam Tridentinum *sess. 6. c. 16.* bene operantibus proponendam esse vitam æternam, tanquam mercedem ex Dei promissione bonis ipsorum meritis & operibus reddendam.

848. Probatur denique ratione à priori. Gratia est semen Gloriam, & constituit filium adoptivum ac Hæredem vitæ æternæ: ergo ipsius operationes supernaturales & ex se meritoria, merentur de condigno præmium dignum filio Dei, sunt enim operationes filij Dei: atqui nullum aliud præmium est dignum & commensuratum dignitati filij Dei, nisi quod vel est ipsa vita æterna, seu augmentum illius, aut quod ad ipsam intrinsecè ordinatur, sicut augmentum Gratia. Ergo &c.

849. Obijciunt 1. illud ad Rom. 8. Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram gloriam. *sc. 1.* S. Paulum voluisse solum negare nostris operibus Æqualitatem Arithmetici pretij ad mercedem, non autem æqualitatem proportionis, qualis est feminis etiam minimi ad gignendum fructum maximum apud æquitatem Remaneratoris, ut supra notavi ex Card. de Lugo, & eandem responsionem tradit reipsa Suarez *n. 18. sc. 2.* Cum Ruaro, Bellarm. & Suarez, S. Paulum comparasse cum gloria æterna passionibus externis & materialiter sumptis, quæ utique non habent ullam condignitatem. Patet ex ipso contextu: dixerat enim prius: *Quicumque spiritui Dei aguntur, hi sunt filij Dei, si autem filij & hæredes, hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* deinde subiungit. *Existimo enim, quod non sunt condignæ passionibus &c.* nempe, nisi eas toleremus constituti in gratia, & filij Dei: nam secundum se considerate sunt leves & momentaneæ, ut dixit idem Apostolus 2. ad Corinth. 4.

850. Obijciunt 2. Vita æterna vocatur in S. litteris, Gratia. ergo nostra opera non habent ex se condignitatem & æqualitatem ad illam ut ad præmium. Quod enim est Gratia, non est debitum. *sc. Vocari Gratiam in radice, quatenus ipsæ operationes procedunt ex gratia.*

Obijciunt 3. Axioma Theologorum, quod Deus præmiat nostra merita ultra condignum. *sc. Illud effatum diversos recipere sensus, in quibus verificetur.* Primus, quod nostra opera secundum se spectata, seclusa dignificatione proveniente à Gratia sanctificante, non sunt condigna, ut paulo ante dictum est. Secundus sensus esse potest, præmium condignum suscipere magis & minus, & esse triplex, sicut pretium iustum dicitur esse triplex, summum, medium & infimum: Unde Deus dando summum censetur præmiare ultra condignum. Tertius sensus esse potest, quod Deus ultra præmium essentielle condignum, addat præmia accidentalitè.

851. Obijciunt 4. Opus aliunde debitum non meretur aliquid de condigno, ut patet in operibus mancipiorum: sed nostra opera sunt

Deo infinitis titulis debita: ergo nihil meretur apud Deum de condigno. *sc. Distinguendo maiorem.* Non meretur de condigno, ita ut obligetur Dominus ad præmiandum, transeat; ita ut habeat proportionem & connaturalem exigentiam præmij, nego maiorem. Immo & mancipiorum opera hoc modo sunt præmio digna. Vtrum autem posset Deus per absolutam potentiam contra exigentiam hanc agere, penderet ex eo, an Deus posset huiusmodi dispensationem compensare, quod hic non examinamus.

Obijciunt 5. Inter finitum & infinitum nulla est proportio: sed nostra opera sunt valoris finiti, vita æterna saltem ratione durationis est infinita: ergo non potest esse præmium de condigno. *sc. Argumentum probaturum, quod Deus puniat peccatum mortale ultra condignum, cum sit finita malitiæ, poena autem secundum durationem infinita.* Negandum est itaque secundum membrum minoris, nempe infinitudinem durationis esse simpliciter infinitudinem, quæ tollat proportionem inter meritum & præmium. Ratio est, quia actibus supernaturalibus hominis iusti, debetur vita æterna, sicut Hæreditas filio adoptivo: hæreditas autem non datur ad tempus, sed in perpetuum, & vita Beata, ut sit beatitudo & felicitas, debet habere perpetuitatem.

852. Obijciunt 6. Si opera nostra ex natura rei mererentur de condigno Gratiam & gloriam, sequeretur à fortiori, quod Merita Christi auxilient gratiam & gloriam in Christo; sequeretur item, quod unus homo posset de condigno mereri gloriam alteri, cedendo nimirum Jure suo, sicut potest in alijs cedere Jure quod habet in favorem alterius. Vtrumque consequens est absurdum. *sc. Negando utramque sequelam.* Primam quidem ideo, quia Christus habuit suam Gloriam in gradu quem Deus illi decrevit, antecederet ad omne meritum, & præsupponebatur priori naturæ, neque debebat gloria esse præmium illius, ut traditur in Tract. de Incarnat. Gloria autem non augetur Successivè, sicut Gratia & Jus ad gloriam. Secunda verò sequela (de qua tamen agitur in lib. de Incarnat.) interea negatur, & datur disparitas inter alia Jura & Jus ad gloriam, cui ex speciali ratione nemo potest cedere in favorem alterius. Neque refert, quod Christus Dominus potuerit eam alijs mereri de condigno. Nam ejus merita erant Valoris Infiniti, nec per hoc fecit jacturam in propria gloria.

853. Obijciunt 7. Valor nostrorum operum habet se sicut valor monetæ, aut valor laboris diurni alicujus Mercenarij: sed horum valor provenit à forma extrinseca, & quidem arbitraria, institutionis seu taxationis factæ à Magistratu, vel conventionis inter locantem & conducentem &c. ergo idem de valore nostrorum operum dicendum est. Respondetur, negando maiorem & paritatem. Disparitas patet ex dictis, nempe quia homo iustus per gratiam sanctificantem ordinatur

dinatur intrinsecè ad felicitatem supernaturalem, quæ cùm sit capax augmenti, & respectu filij adoptivi ejusdemq; operis boni, non sit aliud præmiũ proportionatum, præterquam augmentum æternæ Gloriæ, inferitur, opera habere intrinsecam condignitatem cum tali præmio, seclusâ omni conventionem aut arbitrariâ taxatione. Metallum autem non habet ejusmodi ordinationem ad commutationes & commercium humanum, nec vnus homo ordinatur per aliquid intrinsecum ad alterum, &c.

CONTROVERSIA III.

Quinam Virtutum actus mereantur de condigno vitam æternam.

854. **P** Adamus Tannerus q. 6. n. 89. docet, nullum actum, quantumvis supernaturalem & procedentem ab homine iusto, mereri de condigno vitam æternam, nisi vel sit actus charitatis, vel à charitatis actu imperetur. Pro eadem sententia citantur Granadus, Scotus, Gabr: Durand. Bellarm. Lorca. Philippus à SS. Trinitate.

Dicendum tamen est cum recepta aliorum doctrina, quemvis actum supernaturalem laudabilem viatoris iusti, mereri de condigno vitam æternam, etiamsi nullo modo, hoc est, nec elicitive nec imperative procedat à Charitate. Probat 1. Ex Concilio Tridentino sess. 6. c. 16. & can. 32. asserente, iustos mereri illis operibus, quæ in gratia faciunt, vitam æternam, tanquam mercedem bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam. Fundamentum ita statuendi habuit in Scriptura, vbi præbent potum aquæ frigida promittitur merces. Quod si ibi sermo esset de actu Charitatis erga Deum, non erat causa cur Christus adderet: *amen dico vobis non perdet mercedem suam*: volens rationem dubitandi propter vilitatem operis prævenire. Accedit sensus communis fidelium, qui indubitanter existimant, se per omnes actus honestos supernaturales morales, mereri augmentum Gratiæ.

Ratio à priori est, quia omnes actus supernaturales sunt actus aliquo modo ex objecto divini, utpote habentes beneplacitum Dei pro regula suæ honestatis, ut præcedente lib. exposui, & insuper conveniunt filio Dei, suntque laudabiles ac meritorij alicujus præmij, competentis filio Dei: atqui nullum præmium præter augmentum gratiæ & gloriæ, est præmium competens filio Dei; nam hoc præmium debet excedere omne præmium, quod potest homo per actus naturales condignè mereri: ergo omnes actus supernaturales honesti merentur de condigno vitam æternam.

855. Objicit P. Tannerus 1. Concilium Tridentinum, quod can. 26. requirit, ut opera iustorum sint in Deo facta, hoc autem videtur sonare actum Charitatis. 2. Omnia opera superna-

turalia rectè dicuntur facta in Deo, hoc est, facta in fide, quæ credimus Deum remuneratorem esse: nullum enim opus supernaturale honestum datur in via, nisi ex fide in Deum remuneratorem fidem nostram. Præterea sensus illius canonis est satis apertus, nempe damnantur alliterantes, quod iusti non debeant expectare æternam retributionem pro operibus quæ in Deo sunt facta. Sensus, inquam, & intentio Canonis est, agnare discrimen inter opera facta in Deo, hoc est, in statu Gratiæ, & inter opera facta in statu peccati, quod scilicet iustus pro prioribus quidem, non autem pro posterioribus, expectare debet retributionem æternam.

856. Objicit idem 2. S. Thomam, q. 114. a. 4. nec potest negari, esse explicatè difficultas. Nam licet Granadus & Ovidius respondeant, tamen solummodo asseri à S. Thoma, quod bona opera debeant procedere ab homine habente habitum Charitatis, hæc tamen interpretatio vix videtur posse cum textu consistere, cum S. Thomas actus meritorios expressè requirat, ut à Charitate imperentur. Ceterum quæcumque hoc loquens fuerit S. Thomas, fatetur ipse P. Tannerus & ostendit Suarez, S. Thomam alibi nobiliter sentire.

CONTROVERSIA IV.

An donum intrinsecè supernaturale, sit esse præmium actus quoddam substantiam naturalem.

857. **P** Gabriel Vasquez d. 189. n. 126. & 127. docet, ante actum fidei supernaturalem, dari in infidelibus actus bonos naturales, qui mereantur de congruo donum supernaturale, hoc est, illuminationem quæ requiritur ad elicendum imperium fidei.

Dicendum tamen est, non dari huiusmodi meritum de congruo, quantumvis illi actus eliciantur ex meritis Christi. Probat 1. Audientiam Conciliorum, quæ definiunt, fidem esse initium Justificationis, ut habet Tridentinum, sess. 6. c. 1. Atqui initium Justificationis dicitur illud, quod conducit primò in ratione meriti ad Justificationem: ergo actum fidei nullum præcedit meritum, cuius præmium sit ipse actus fidei. Expresse hoc S. Augustinus lib. de Grat. Christi c. 21. in illa verba Pauli ad Ephes. 2. *Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est, meritis operibus, ut ne quis gloriatur.* ex his inquam verbis concludit S. Augustinus hoc modo. *Illud ergo unde incipit omne meritum, sine merito accepimus, id est ipsam fidem.*

Respondet aliquis, S. Augustinum loqui de merito condigno. Sed contra. S. Augustinus concedit meritum ante remissionem peccatorum, & negat meritum ante fidem: atqui ante remissionem peccatorum non datur meritum de condigno,

condigno, sed tantum meritum de congruo: ergo S. Augustinus exclusit ante fidem etiam meritum de congruo.

878. Probatur 2. Ratione à priori. Inter meritum & primum debet esse proportio; atque inter meritum ordinis naturalis & primum ordinis supernaturalis nulla est proportio: ergo gratia supernaturalis non potest esse primum actus naturalis. Majorem concedit Vasquez, & declaratur. Proportio inter Meritum & Primum debet ad minimum hoc habere, ut quemadmodum meritum est ordinatum ad consequendum finem, ad quem homo sic operans est ordinatus, spectando naturam ipsius operis, & etiam operantis, quoad ea quæ à tali opere per se loquendo in operante supponuntur, ita primum sit vel pars illius finis, vel certe ordinetur tanquam Medium conducent ad ipsum finem. Facilius hoc intelligitur in premiis quæ solent à Principibus vel Republica offerri cum respectu ad fines immediatos, quos sibi solent divertæ hominum conditiones & gradus præfigere; qui respectus si non attendatur, inepta esset præmiatio. v.g. si Militi habenti pro fine suarum actionum gloriam militarem, velles in primum actus militaris heroici offerre agnos cereos; item si artificii habenti pro fine divitias, velles in primum novæ inventionis extruere statum, &c. hæc inquam præmia essent inepta & improporcionata respectu, quia non conducunt ad finem, quem operans per opus ipsum querit. Vnde jam subsumitur. Actus ordinis naturalis per se & ex natura sua respicit felicitatem naturalem, ad quam non habet rationem mediæ donum supernaturale; contra donum supernaturale ordinatur ad finem sublimiorem, & ideo est primum decens filium Dei, ac proinde longè excedens valorem operis non habentis intrinsecam exigentialem connectionem cum statu filij Dei: ergo inter actum naturalem & primum supernaturale nulla est proportio.

879. Confirmatur. Si enim esset proportio, tunc nulla superesset sufficiens ratio, quare actus honestus naturalis, elicitus ab homine existente in gratia, non mereretur de condigno augmentum Gratia: hujus enim rei unica ratio est, quia tali operi est per accidens, quod hic & nunc sit opus filij Dei specificativè sumpti; ergo ut promeretur de condigno ejusmodi augmentum, requiritur, ut non per accidens (sicut Musicus ædificat) sed per se sit opus filij Dei, quæ talis: ergo cum opus naturale non sit hujusmodi opus filij Dei, non habet competentem proportionem cum ente supernaturali tanquam præmio.

Confirmat hoc aliter Card. de Lugo. Sicut, inquit, operatio Bruti si esset præmiabilis, non exigeret nisi bonum proportionatum Bruto, & opus puerile solum exigeret præmium proportio-

natum puero, ita opus hominis naturalis solum habet proportionem cum bono quod convenit homini in statu naturali, & sicut non habet proportionem cum præmio Angelico, multò minùs cum præmio ordinis divini. Porro hujusmodi proportionem esse attendendam à prudente præmiatore etiam de congruo, jam supra diximus.

880. Obijciunt 1. Ipsam fidem præcedit pia affectio, immò sæpè etiam oratio, quæ oramus ad impetrandum lumen fidei. 2. Hæc omnia opera pertinere reductivè ad fidem, & gratiam ex qua fiunt, jam esse gratiam fidei, & esse cognitionem supernaturalem intrinsecè, ac per consequens ipsam etiam orationem & piam affectionem, esse intrinsecè supernaturales.

Obijciunt 2. Varia exempla, ubi infideles per opera naturalia leguntur impetrasse donum fidei. 1. Aliqua non facere ad rem præsentem. Nam illæ personæ revera jam habebant fidem, sed necdum erant baptizatae, & impetrarunt Baptismum, aut si Baptismum etiam jam susceperant, impetrarunt explicationem propositionem Mysteriorum fidei. 2. In alijs personis id contigisse, non quod de congruo promeruerint, sed quod erga aliquem Sanctum fuerint beneficii, qui Sanctus deinde ex motivo gratitudinis (quæ virtus non attendit æqualitatem Beneficij accepti, sed superat, ut tradit ex communi Suarez lib. 12. c. 30. n. 12.) oravit pro illa persona, & impetravit illi donum fidei à Deo. sic legimus S. Potamienam impetrasse fidem Basilidi suæ Benefactrici. Respondetur potest 3. Aliquos non quidem promeruisse, sed per opera naturalia removere impedimentum fidei, hoc est, fecisse se minùs indignos, prout præcedente capite declaratum est, in expositione axiomatis; *Facienti quod in se est, &c.*

881. Obijciunt 3. In sacris literis promittitur præmium supernaturale actibus moralibus Misericordiæ, v. g. pro potu aquæ frigida, neque requiritur supernaturalitas, sed sine discrimine. 2. Negando assumptum. Scriptura enim satis apertè indicat, hujusmodi opera debere procedere ex fide in Deum remuneratorem, & hoc etiam conceptis verbis exprimit Tridentinum: *sess. 6. c. 10. & 16. cooperante, inquit, fide bonis operibus: & bene agentibus usque in finem, & in Deo sperantibus proponenda est vita æterna.*

882. Obijciunt 4. Sancti Patres sæpè commendant opera moralia etiam ex meris motivis naturalibus facta: ergo supponunt quod mereantur de congruo aliquod donum supernaturale. 2. Transeat Antecedens, Nego Conseq. Ad summum enim ea commendant in eo sensu quo præcedente capite explicavimus: nempe quod conducant tanquam Removens Prohibens. Ceterum, SS. Patres longè sæpiùs & clariùs valde contemnunt & extenuant hujusmodi opera, adeo

ut negent mereri propriam rationem virtutis. Audiatur præ cæteris S. Augustinus lib. 4. contra Julian. c. 3. dum impugnat Julianum, quod Gentilium virtutes laudaverit tanquam veras, sæpius asserens, non esse veras virtutes nisi fiant ex fine supernaturali. Ideo, inquit, veras virtutes habemus, quia verum est, propter quod facimus, id est, hoc naturæ nostræ consentaneum est ad salutem, & veram felicitatem. Et paulò pòst. Veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Hoc autem probat ex Apostolo ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. & explicat illud ad Rom. 2. Gentes naturaliter ea quæ legis sunt faciunt. hoc est, sine legis scriptæ notitia; & propterea, inquit, naturaliter, quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correctæ naturæ. Deinde subiungit. Quodsi veras virtutes faciunt, operantur ex fide, aut, si fidem Christi non habent, profectò nec iusti sunt, nec Deo placent.

CONTROVERSIA V.

Utrum Status Gratiæ in operante sit conditio necessaria ad merendum de condigno vitam æternam.

463. **E**RROR Michaëlis Baij fuit, quòd ad merendum de condigno vitam æternam, sufficiat obedire legi divinæ, etiam si sic obediens non existat in Gratia, quando ponit actum observantiæ legis. Ita habet prop. 16. Contra quem

Dicendum est 1. Homo existens in peccato mortali, sive originali, sive personali, non meretur de condigno vitam æternam vilo opere bono elicitò in statu peccati. Conclusio videtur omnino definita in Trident. sess. 6. c. 16. cuius Titulus est: De fructu Iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione. vbi sic loquitur. Hac igitur ratione iustificatis hominibus, sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono &c. paulò pòst: Atque ideo bene operantibus usque in finem & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquam Gratia filijs Dei per Christum JESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Et iterum paulò pòst. Cum enim ille ipse Christus JESUS, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem infusa, quæ virtus bona ipsorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent, nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censentur.

Neque refert, quòd Tridentinum non excludat disertis verbis à ratione meriti, opera facta extra statum Gratiæ, nam hoc satis colligitur ex eo, quòd requirat unionem operantis cum Christo tanquam vitis cum palmitre.

Fundatur autem hæc Concilij definitio in S. Scriptura, ad Rom. 8. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei, si autem filij, & heredes &c. si tamen compatimur, ut & congloriamur. quibus verbis docet, adultum non posse consequi hereditatem, nisi accedentibus meritis, & quidem in gratia factis, quia factis à filio Dei.

864. Probatur deinde ratione. Si opera hominis peccatoris mererentur de condigno vitam æternam, sequeretur, quòd homo simul posset esse peccator, & simul habere jus absolutum ad vitam æternam: Consequens ex terminis repugnat: peccator enim est dignus privari vita æternà: ergo non potest simul esse dignus cadere

865. Dicendum est 2. Neque homo non peccator, si eliceret actum supernaturalem honestum, dum careret gratiâ (quod quidem desiderium nunquam fit, non repugnat tamen fieri, ut patet ex dictis de condonatione extrinseca) mereretur de condigno vitam æternam. Ratio est, quia non requiritur Gratia sanctificans ad meritum de condigno præcisè propter repugnantiam cum peccato, sed propter suam præstantiam, & quia est forma constituens Hæredem Dei, & Cohæredem Christi.

866. Ratio ulterior est, nam licet actus supernaturalis sine gratia elicitus, esset adus potens secundum substantiam suam procedere à filio Dei, non tamen tunc esset actus filij Dei: acquirere vitam æternam excedit meritum cujuscunque personæ, excepto Filio Dei: ergo nulla persona que non sit Filius Dei, potest mereri de condigno vitam æternam.

CONTROVERSIA VI.

Utrum de ratione Meriti sit Voluntaria abdicatio alicujus Boni Temporalis.

867. **Q**uestionem hanc ab alijs prætermisam, accuratè pertractat, nec minus solida, ut mihi videtur, resolvit P. Martinus Esparza lib. 3. q. 31. cum quo convenio in puncto principali, non item in Corollario. Itaque

DICO, ad Meritum stricte, magisque propriè sumptum, requiri hujusmodi abdicacionem, seu contemptum alicujus boni temporalis per actum illum honestum qui dicitur meritorius, quo Bono Temporalis quis frueretur, si actum meritorium intermitteret. Dixi, Meritum stricte, magisque

magisque propriè sumptum : Vt præciderem quæ-
stionem de vocabulo : nam si quis vellent omnem
actum laudabilem, quales defacto etiam eliciun-
tur à Beatis, quibus tamen nullo bono temporali
& gaudio se privant, si quis, inquam, vocare
vellet meritum, saltem in actu primo & radica-
liter, faceret quæstionem de nomine, sed minùs
vitare loqueretur.

868. Et quidem loquendo de Merito
Theologicè sumpto, hoc est, vitæ æternæ, Pro-
batur Conclusio efficaciter ex SS. litteris. Impri-
bitur ad Rom. 8. *Si tamen compatimur, ut & con-
glorificemur.* Quibus verbis requiritur tanquam
conditio sine qua non sumus conglorificandi,
requiritur inquam compassio seu tolerantia pas-
sionum & ærumnarum, quibus privamur aliquo
bono seu solatio temporali, & quidem adeo ab
hominibus æstimabili, ut propter illud plerique
virtutum passionis & mortificationis negligant.
Hoc ipsum exprimitur Matth. 11. *Regnum Cælorum
vim patitur, & violenti rapiunt illud.* quæ verba con-
tinent sensum exclusivum, nempe quod sine vi
& violentia non obtineatur. Idem dicitur 2. ad
Timoth. 2. *Nemo coronatur, nisi qui legitime certaverit.* 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem
accipiet secundum suum laborem :* quasi diceret : la-
bor est mensura præmij, & mercedis, adeoque ubi
non est molestia laboris, neque erit merces.

869. Probari potest Conclusio 2. à po-
steriori & ab inconvenienti. Si homo iustus
posset in via mereri augmentum gloriæ per actus
non victoriosos, modo dicto, hoc est non con-
temptivos alicujus boni temporalis, tunc Deus
non ex natura rei, sed ex mero libero arbitrio de-
negaret huiusmodi præmium beatis, & jam con-
stitutus in termino, nec potentibus pati jacturam
alicujus boni temporalis æstimabilis, & tamen
elicientibus actus honestos ejusmodi, quales si
elicerentur in via, mererentur secundum adver-
sarios augmentum gloriæ : consequens est incre-
dibile : ergo & id ex quo sequitur. Sequelam
concedunt Adversarij. Minor probatur. Beati,
cæteris paribus, magis amantur à Deo, quàm via-
tores ; amantur enim amore correspondente a-
mori Beatifico, & stabili ac immutabili : ergo
non est censendus Deus denegare velle illis præ-
mium, quod per suos actus merentur. Nam
peccatoribus elicientibus actus meritorios, ideo
vnicè denegat præmium, quia sunt peccatores :
hæc autem ratio negandi non habet locum in bea-
tis : ergo si Deus ex libero arbitrio, contra natu-
ram meritum, negat præmium beatis, vim in-
feret meritis, quod de Dei bonitate non est cre-
dibile.

870. DICES : Ideo hoc non esse incon-
veniens aut incredibile, quia recta hominum
gubernatio postulat, ut tandem sit terminus bene-
merendi & augendi gloriæ, ne detur meritis &

augmento gloriæ locus in infinitum. Sed Con-
tra. Hoc ipso quod recta gubernatio exigit, tan-
dem hominem poni in statu gloriæ immutabili,
hoc ipso inquam exigit, ut in illo statu non sint
possibiles illi actus, qui augmentum Gloriæ de-
condigno merentur, ne scilicet alioquin necesse
sit dicere, Deum neglectâ Justitiæ providentiali
facere perpetuum miraculum, non promotivum
naturæ ad suum ultimum finem, & sine compen-
satione. Jam verò si ad rationem meriti non re-
quiritur victoriosus contemptus boni temporalis,
poterunt poni in statu beatitudinis actus merito-
rij, & tamen negabitur illis præmium contra exi-
gentiam illorum, & hoc sine alia compensatione.
Econtra si ad rationem meriti requiritur ille vi-
ctoriosus contemptus, facile intelligitur, quomo-
do in illo statu non ponantur actus meritorij,
nempe ubi per actus laudabiles beati non privan-
tur vlllo bono temporali æstimabili ab illis : ergo
in nostra sententia omnia melius coherent.

871. Replicabis. Ergo eodem modo de-
beret status damnationis æternæ ita esse constitu-
tus, ut in illo nullum daretur peccatum dignum
pænæ augmento, quia in inferno non augetur
pænâ damnatorum : ergo nec deberent esse ibi
possibilia peccata. R. Negando paritatem.
Nam licet illa peccata sint digna novâ pænâ, non
est tamen contra aliquam Dei perfectionem, sed
potius est effectus maximæ perfectionis divinæ,
& nulli injuriosus, si Deus ex infinita sua miseri-
cordia nolit illa peccata novâ pænâ punire, &
hujus misericordiæ ostensio abunde compensat
illud bonum, quod per inflectionem novæ pænæ
obtineretur ; econtra esset contra perfectionem
Justitiæ providentialis, si Deus non præmiaret
opera suorum amicorum digna ulteriori præ-
mio.

872. Probatur jam Conclusio ratione à
priori. Præmiatio est quædam compensatio o-
peris in alterius gratiam exhibiti : atqui ubi nul-
la subitur jactura in operis exhibitione, non po-
test locum habere compensatio : ergo de ratione
meriti debet esse huiusmodi jactura.

873. Objicies 1. Nulla conditio debet
ad rationem meriti requiri, quæ non requiritur à
Tridentino Conc. sed ab hoc non requiritur con-
ditio arduitatis & victoriæ cum contemptu boni
temporalis : ergo &c. Minor probatur. nam
sess. 6. c. 16. ubi agitur de meritis, non plus re-
quiritur, quàm ut opus sit hominis iusti, viatoris,
in Deo factum, hoc est supernaturale. R. Con-
cilium etiam non exprimit in specie Libertatem
actûs, quæ tamen ad rationem meriti requiri-
tur : sicut ergo hæc est subintelligenda, juxta to-
rum contextum & scopum Concilij, ita etiam ar-
duitas ; nam Concilium fundat se in textibus
Scripturæ ibidem relatis ex S. Paulo 1. ad Cor.
15. *Scientes, quod labor vester non est inanis in Do-*
mino.

minora item 1. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona Justitiae*: nempe respondens certamini, ut explicat ipsum Tridentinum. Adde, quod nullum opus supernaturale laudabile ponatur in via, sine aliqua hujusmodi arduitate contemptiva boni temporalis, ut ex dicendis patebit.

874. *Objic. 2.* Ex nostra Conclusionem sequitur, quod sufficienter premiaretur opus, si tantumdem boni rependeretur, quantum fuit contemptum; servaretur enim aequalitas. *R.* Negando sequelam. Nam praemij ultimatam retributio talis ac tanta esse debet, ut non possit prudenter contemni, utpote pars felicitatis, & ut sit sufficienter impulsivum ad opera difficilia obtinenda, faciatque spem probabilem obtinendi: quae tamen spes haberi non posset, si praecise tantumdem redderetur, quantum contemneretur, quia operans tantumdem haberet, si non operaretur.

875. *Objic. 3.* Ex nostra conclusione sequitur, quod quod est major arduitas & inclinatio ad bonum temporale, eò sit majus meritum, ceteris paribus; Consequens est absurdum: hinc enim sequeretur, Christum & B. V. non fuisse plus promeritos, quam homo corruptissimae naturae, ad omne malum inclinatus, mereretur, immò hic plus mereretur, ob vehementiores inclinationes ad objectum oppositum. *R.* Concedendo sequelam, & negando minorem. Ad cujus probationem negatur sequela, quia cetera non sunt paria. Itaque Christus & B. V. posuerunt merita praestantiora, quia operabantur ex motivis praestantioribus, & oppositis pluribus bonis temporalibus, & cognitis quae talibus; e contra per se loquendo homines obnoxij pravis inclinationibus, nec habent illam claram cognitionem motivorum praestantiorum, & simul à suis passionibus impediuntur, quominus operentur cum tanta intentione, aut appretiatione, cum quanta operarentur, si non essent hujusmodi passionibus implicati. Ceterum si talis ita illuminaretur à Deo, ut eliceret actum valde heroicum & perfectum ex motivo, ut contigit B. Mariae Magdalenae, Mutio larroni crudelissimo, & deinde multorum Monachorum Abbati sanctissimo, utique talis actus esset majoris meriti, ex occasione malorum inclinationum: & hinc tradunt communiter Ascetae, quod unico actu heroico possit quis in maximum sanctum evadere.

876. *Objic. 4.* Actus etiam non contemptivus boni temporalis, est tamen liber, honestus ac placens Deo: ergo homo eliciendo talem actum subicit illum dominio Dei, cui posset illum subtrahere sine ullo piaculo, quia nulla est obligatio illum ponendi: ergo jam est locus retributioni pro re accepta. *R.* Negando hanc consequentiam. Quia Deus non direxit nostris actibus, unde non habet locum retributio quae sit per

modum Commutationis: neque retributionis commutationis est de conceptu praemij; quali commensuretur lucro quod accessit praemiantis sed est retributio compensativa jacturae seu damni, quod subit operans, & fit à Deo ut Gubernatore Naturae intellectualis, cujus officium est, considerare, quantum oporteat nobis dari pro opere, ut alliciamur sufficienter ad ponendum opus. Quod si nullum incommodum subimus in opere, sed potius per illud magis perficimur, quoniam per oppositum, non est opus hac allicientia: ergo nec praemio.

877. *Objicies 5.* Nulla est Repugnancia, quominus possit Deus promittere aliquid homini, si talem actum posuerit, qui non sit arduus modo dicto, sed tamen laudabilis: ergo res praemissa habebit rationem praemij. *R.* Negando consequentiam; alioquin etiam actus naturalis posset mereri praemium supernaturale, quia posset habere rationem conditionis, quae posset Deus hominem elevaret, ut supra dictum est. Immo peccatum Adae fuit conditio ad mittendum Christum Redemptorem. ergo pari modo posset actus bonus requiri à Deo ut conditio faciens aliquid, & tamen non habere rationem meriti. Sic Deus defuncto exaudit orationes Sanctorum, quae sunt instar conditionis, & non habent rationem meriti.

878. *Objicies 6.* Laus est praemium virtutis Aristotele teste: atqui propter omnem actum virtutis, etiam non contemptivum boni temporalis, est homo laudabilis: ergo omnis actus virtutis meretur praemium. *R.* Duplici generis laudem reperiri: alia enim est laus quae propter se est amabilis, etsi non sit induciva ad alius utilitatis: & hoc modo Deus & beatitudinantur propter suos actus, etiam non meritorios. Alia est laus quae solum amatur, quatenus est reductiva alicujus utilitatis & commodi; & haec non debetur nisi actui virtutis arduo, & contemptivo boni temporalis. Et quidem secundum Aristotelem 2. *Eth. c. 3.* Virtus ex suo conceptu versatur circa arduum & difficile, quod est intelligendum de Virtute strictius sumpta, prout reperitur in viatoribus.

879. *Objicies 7.* Ex nostra doctrina sequi videtur, quod praestantia actus minus affluens, quam arduitas seu contemptus boni temporalis. Unde fieri posset, ut ceteris paribus posset actus inferioris Virtutis esse magis meritorius, quam actus superioris virtutis, si nempe per actum inferioris virtutis majus bonum temporale contemneretur. Unde ulterius sequeretur, quod viri sancti, qui nihil amplius afficiuntur erga bona temporalia, sed ea facillime contemnunt, minus mererentur per actus quantumvis praestantissimos, quam qui valde afficiuntur ad bona temporalia. *R.* Negando sequelam: Nam ut etiam ob-

servat P. Esparza, Bonitas actus, quam habet ex obiecto formali motivo, plus confert ad meritum quam difficultas; quia victoria difficultatis intenditur, & proposito premio sollicitatur, ut habeatur bonitas & perfectio operis ac operantis. Vnde ob praestantiam actus potest inesse actui plus meriti, etiam si sit minor difficultas. An autem actus inferioris virtutis possit ob incrementum difficultatis eo usque crescere in ratione meriti, veradequet meritum actus superioris, videri potest Ripalda. d. 30. de Ente supernat. s. 9.

880. Ex conclusione posita P. Martinus Esparza deducere conatur, Personam divinam non potuisse subire officium Redemptoris in natura angelica, vel anima separata assumpta, quia in his non potuisset mereri. Rationem dat. Verbum enim quaecunque naturam assumpsisset, illa debebat esse beata. Jam vero Natura Angelica & Anima separata per ipsam beatitudinem redduntur incapaces operum arduorum contemptivorum boni alicujus temporalis: non item natura humana, habens corpus passibile.

881. Hac tamen deductio mihi necdum est persuasa. Nam certum est, quod Angelica Natura sit capax torturae aequivalentis illis doloribus, quorum capax est corpus, quomodocunque illa tortura explicetur, de qua diximus tract. de Angelis. Porro beatitudo Personae divinae etiam connaturaliter debebat esse impassibilis, quia debebat illi corpus gloriosum; ut tamen pati posset, voluit in hoc dispensare, & assumere corpus passibile. Possit ergo Persona divina, constans natura divina & Angelica, voluisse subire tormentum simile illi, quod pariuntur animae in purgatorio ab igne: hoc sane tormentum non minus opponeretur bono temporali quam opponitur passio in corpore humano: ergo posset adesse bonum contemptibile, & secundum se aestimabile in Natura Angelica, sicut adfuit in Natura humana. Verum in hoc discutendo non vacat, nec operis pretium est immorari.

CONTROVERSIA VII.

Utrum de ratione Meriti sit, esse opus hominis viatoris.

882. Differt hac quaestio à priori, ut mox patebit. Pro cuius resolutione prius dicendum est, quid intelligatur nomine viae, & quinam Theologicè viatores dicantur. Prima quorundam antiquorum explicatio fuit, tamdiu aliquem esse viatorem, saltem respectivè, hoc est respectu alicujus boni consequibilis in termino, quamdiu illud bonum non habet, & simul etiam necdum est redditus incapax illius boni. Ita Durandus, Gabriel, Alensis, Bonau. & alij: vnde

concesserunt, quoddam Angeli, & Beati adhuc sint respectivè in via ad aliquam gloriam accidentalem, quam possint promereri.

Hac explicatio repugnat communi sensui Theologorum. Inde enim sequeretur, beatos omnes, excepta B. V. adhuc esse in via, quia adhuc carent unionem animae cum corpore, cujus aliquando erunt participes: item sequeretur, quod animae in purgatorio adhuc essent in via respectu visionis beatæ, & quod eam possint mereri, quia carent illâ, & aliquando accipient. Neque refert, quod respectu horum praeiorum jam praecesserit meritum, hoc enim non tollit rationem viae, ut patet in Christo, qui statim à principio meruit totum quod accepit postea, licet idem pluribus titulis promeruerit, ut observavit Suarez. Deinde saltem sequitur, animas in purgatorio posse adhuc mereri augmentum gloriae, quia necdum habent gloriam, & ideo nondum sunt redditae incapaces augmenti gloriae, sicut redduntur beati per ipsam beatitudinem essentialem, quae non recipit successivè augmentum.

883. P. Suarez existimat, statum viae non posse brevius & commodius expediri, quam dicendo, quod via tamdiu duret, quamdiu durat vita mortalis, seu quamdiu quis mortuus non est. Contra quam explicationem (quae reipsa vera est) objicit sibi ipse exemplum Enoch & Eliae, qui adhuc vivunt in corpore mortali, quamvis sine rebellionem carnis (quod non obstat viae) & tamen non videntur amplius esse viatores; quia ut ipse Suarez probabilius docet, defacto non merentur, quamvis oppositum doceat Viegas, & quidam alij. Respondet tamen Suarez, ideo illos adhuc esse viatores, quia iterum redibunt ad statum merendi in fine mundi. Caterum quod defacto non mereantur, Suarez vnicè refundit in arbitrium Dei, nolentis illorum actus premiare, quamvis secundum se essent premio digni: & hoc ideo, ne alioquin per tam longum tempus denique possint pervenire ad summam gloriam, & superare quosvis sanctos.

884. Ad hoc autem respondet Viegas, hoc non sequi, quia cum non eliciant actus cum rebellionem carnis, sed valde faciles, ideo sunt parum meritorij. Verum hac responsio non est bona, cum habeat instantiam in Christo & Beata V.

Melius totam difficultatem expedire videtur P. Esparza juxta paulò antè defensionem doctrinam, scilicet, quoddam Enoch & Eliae defacto non mereantur, quia sunt positi in tali statu, in quo non possunt aliquod Bonum temporale contemnere, quod sit impossibile cum eorum actibus, sicut etiam animae Patrum in Limbo, & animae in purgatorio. Quia verò status ille iterum mutabitur, & redituri sunt ad statum, quo possint bona temporalia contemnere, ideo adhuc

sunt viatores. Nam via opponitur status immobilis, seu non amplius mutandus in statum merendi per contemptum Boni Temporalis.

885. Defacto autem eos non posse per actus honestos contemnere aliquid bonum temporale, tanquam impossibile cum tali actu honesto, declarat idem auctor. Quia ex quo à reliquis mortalibus sejuncti vitam agunt omnino placidam & imbellem, sunt expertes omnis molestia liberè declinabilis per omissionem actuum honestorum. Nempe, inquit, habent omnem morum honestatem, cum omnibus commodis, quorum ipsis copia & potestas simpliciter facta est, conjunctam; nec Deo placent vlla eorum incommoda liberè suscepta: separavit enim eos à reliquis, ut pacificè degerent liberi ab omni molestia, omnique incommodo praegravante sanctos ac honestos mores, quoad omnes & singulos eorum actus. Sunt enim liberi à fomitibus vexatione, ex communi sententia, eademque ratione dicendi videntur liberi ab omni alia molestia commodi & incommodi temporalis, valentis retrahere ab amore honestatis, vel totaliter, vel quoad partem, & ingerentis difficultatem aliquam placidæ prosecutioni ejusdem honestatis adequatè sumptæ. Hac ille.

886. Hinc autem (ut ad quæstionem tituli veniamus) deducitur cum eodem Authore, & P. Vasquez, contra Suarez, ex natura rei, & non merè ex arbitrio Dei provenire, quod ratio via sit de conceptu meriti. Quia status viatoris est convertibilis cum indifferentia ad prosecutionem & contemptum arduum commodi temporalis, impossibilis cum actu honesto meritorio; quæ indifferentia, ut probatum est, requiritur ad rationem meriti.

Neque refert, quod Enoch & Elias adhuc censeantur esse viatores, & tamen non possint nunc mereri. Nam non est necesse, ut viator pro omni tempore possit mereri: alioquin infantes & amentes non essent viatores: satis ergo est, quod ad statum merendi possint redire aut pervenire.

887. Econtrario infertur, animas Patrum in Limbo & in Purgatorio, & infantium decedentium sine Baptismo, non esse viatores, quia non sunt amplius capaces actuum arduorum contemptivorum boni temporalis! eo prorsus modo quo de Enoch & Elia declaratum est, cum hoc discrimine, quod illæ animæ non sint amplius rediturae ad statum merendi, sicut rediturae sunt Enoch & Elias.



CONTROVERSIA VIII.

Quomodo mereamur Gratiam & Gloriam.

888. **T**Am Gratia, quam Gloria correspondens Gratia, dupliciter considerari potest: primo, quoad primam collationem ad Justificationem intuitu ultimæ dispositionis ad Justificationem; itidem quoad gloriam correspondentem Gratia primò collata: Secundo, quoad augmentum Gratia, & similiter quoad correspondentem augmentum Gloriae.

Certum imprimis est, & videtur omnino definitum in Tridentino *sess. 6. can. 32.* hominem justificatum mereri per opera elicitia in Gratia augmentum ipsius Gratia habitualis. Neque enim admittenda est interpretatio P. Gabriels Vata opinantis posse Tridentinum intelligi saltem de, quod plus non velit, quam quod iusti faciant magis Sancti per ipsa bona opera. Hanc interpretationem nullo modo patiuntur verba Tridentini. Si quis, inquit dixerit, non justificatum bonis operibus, non verè mereri augmentum gratia &c. Si hoc non esset aliud, quam fieri magis sanctos, idem esset ac si diceretur, non mereri ipsa nostra opera, per quæ firmus magis sancti: non ergo intellexit solum illud augmentum sanctitatis, quod provenit formaliter à ipsis operibus.

889. Dubitatur 1. An per ultimam dispositionem ad gratiam, seu justificationem peccato obtinendam, mereamur aliquo modo primam infusionem gratia.

Prima sententia negat ultimam dispositionem, qualis est perfecta contritio, omnem rationem meriti, etiam de congruo. Ita Capreolus, de tus, Hostius, & inclinat Stapletonus ac Medina apud Suarez.

Secunda sententia est, illam dispositionem non solum habere rationem meriti de congruo, sed etiam de condigno. Ita viri docti in Hispania docuerunt, teste Turriano.

Tertia & vera sententia est, negans quidem illi dispositioni meritum de condigno, concedens tamen Meritum de Congruo.

890. Prior Pars probatur ex dictis. Primo; In tantum meremur aliquid donum supernaturale de condigno, in quantum actus meritorius dignificatur à Gratia sanctificante: ut patet ultima dispositio ad infusionem Gratia, non potest dignificari à Gratia infundenda intuitu illius dispositionis: ergo &c. Minor probatur ex illa Theologorum Regula: *Principium Meriti non cadit sub Merito.* Atqui Gratia dignificans est principium Meriti, immò forma denominans meritum.

meritum de condigno: ergo illa gratia quæ dignificat, non cadit sub Meritum, hoc est, non est premium ad quod dignificat. Huc facit illud ad Rom. 7. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem*: & ad Titum 3. *Non ex operibus Iustificati quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam quæ nos fecit.*

Probat jam secunda pars. Nam vltima dispositio est actus supernaturalis & honestus: ergo de congruo meretur omne illud, quod meretur de condigno, si fieret in gratia: atqui tunc meretur de condigno augmentum gratiæ: ergo quando non fit in gratia, meretur de congruo gratiam.

891. Dices, hoc argumentum probari posse, quod non solum actus perfectæ charitatis, sed etiam actus aliarum virtutum mererentur de congruo iustificationem. R. Distinguendo sequentiam, in actu primo remoto, concedo: in actu primo proximo, nego. Ratio est, quia non omne quod meretur de congruo, illud ipso facto consequimur. Soli actui Charitatis hoc privilegium defacto Deus concessit, non alijs actibus; quamvis si & his concederet, non esset retributio imprudens, ut patet ex eo, quod (ex probabilis sententia) in antiquo Testamento præmiaverit fidem parentum iustificatione parvulorum.

892. Probat eadem secunda pars ex SS. litteris, in quibus apertè dicitur, quod Iustificationem mereamur, aut mereri possumus operibus bonis, sive remotè & mediare, sive proximè. Ad Hebr. 7. *Beneficentie autem & communionis nolite oblivisci, talibus enim hostijs promeretur* (id est propitijs redditur) *Deus*. Atqui hoc non est meritum de condigno: ergo de congruo.

Probat 3. Auctoritate S. Augustini *Epist. 107. Neque ipsa, inquit, remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides illam impetrat: neque enim nullum est meritum fidei*. Vbi observandum est, quod S. Augustinus in viatoribus pro eodem accipiat, impetrationem, & meritum, quia oratio viatoris ita est impetratoria, ut etiam sit meritoria. Hinc autem

893. Confirmatur argumentum. In Sacris litteris dicuntur peccatores impetrare Iustificationem: ergo etiam rectè dicuntur eam promereri, præsertim cum ratio meriti plus laudabilitatis includat, quàm ratio orationis, & præterea difficilior sit, seu minùs probabilis spes impetrandi veniam sine merito, quàm eam promerendi: peccator enim est odio dignus, & exaudicio orationis (secluso merito) est pura puta liberalitas, non involvens vllam retributionem, qualem involuit præmiatio. Antecedens autem probatur ex Matth. 18. *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me*. Lucæ 18. cum publicanus dixisset: *Deus propitijs esto mihi peccatori*:

subjungitur. *Descendit hic iustificatus in domum suam*.

894. Dubitatur 2. & difficiliùs, an de condigno mereamur primam gloriam, correspondentem primæ gratiæ, acceptæ intuitu vltimæ dispositionis. In qua re RR. multum dissentiunt.

Prima sententia affirmat, Contritionem extra Sacramentum iustificantem, licet primam gratiam mereatur tantum de congruo, mereri tamen primam Gloriam de condigno, nimirum quia dignificatur à gratia. Ita Suarez, Vasquez, Granadus, Tannerus, Valent. quibus ob auctoritatem accedit Arriaga.

Secunda sententia negat. Ita quidam antiqui, quos sequitur Card. de Lugo d. 6. de Incarn. f. 3. n. 59. & P. Esparza, ac probabilissimam vocat Arriaga.

Tertia sententia distinguit inter primam productionem vltimæ dispositionis, & inter ejusdem continuationem. Quoad primam productionem negat, & sic convenit cum secunda sententia; Quoad continuationem affirmat illum actum non solum mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ, sed etiam primam Gloriam, eò quod ille actus quoad substantiam maneat idem: adeoque licet quoad durationem mereatur augmentum gloriæ, quoad substantiam tamen actus merebitur primam gloriam de condigno; quia in secundo instanti jam est actus dignificatus à prima Gratia. Ita P. Oviedo. Pro resolutione

895. Notandum est, Gloriam dari Beatis duplici titulo; nempe titulo Hæreditatis, & titulo Mercedis, sive præmij. Titulus Hæreditatis est Gratia sanctificans; unde infantes Baptizati consequuntur gloriam præcisè titulo Hæreditatis. Titulo verò præmij & mercedis datur in super intuitu meritorum, dignificatorum gratiæ sanctificantis, & quidem immediatè; hoc est, gloria est æquè præmium immediatum, ac est illud augmentum gratiæ, quod datur intuitu operis dignificati, quia titulus præmij non est Gratia, sed opus meritorium dignificatum. Hoc supposito

Displicet tertia sententia ex duplici capite. Primum est, quia supponit, actus vitales intentionales esse entitates physicè permanentes, quod in philosophia rejici solet à pluribus, quibus & ego assentior. Secundò displicet, quia etiam dato quod actus meritorij essent permanentes, falsum tamen est, quod substantia actus meritorij dupliciter, & bis præmiatur, nempe de congruo & de condigno; de congruo quidem in primo instanti, deinde in posteriore de condigno, adjuncto simul alio præmio intuitu continuationis, quod asserit hæc sententia singularis. Itaque

896. DICO,

896. DICO, probabilius, aliisque principijs conformius esse, quod prima Gloria non cadat sub meritum de condigno. Probatur. Si Contritio quâ justificatur peccator mereretur de condigno primam gloriam, deberet posse assignari gratia, à qua dignificaretur ad illud præmium: sed non potest assignari: ergo &c.

Respondet Arriaga, Contritionem dignificari ab illa Gratia, quam meretur de congruo, & quidem dignificari in signo posteriore: Nam sicut in signo posteriore Gratia collata dat formaliter jus ad gloriam, ut ad hereditatem, ita etiam reddit actum Contritionis dignum ad gloriam, ut ad præmium. Sed contra. Contritio per ipsam gratiam præmiatur ultra condignum, est enim præmium de congruo tantum, & non supponit Contritionem aliunde dignificatam: ergo in illo signo, in quo Deus videt & invenit Contritionem ut meritoriam, & decernit illi liberale præmium, non invenitur dignificata ad suum præmium immediatum: ergo si Contritio dignificaretur à suo præmio congruo ad Gloriam, tunc Gloria non esset præmium immediatum, sed esset præmium Contritionis, ut jam de congruo & ultra condignum præmiatur per primam gratiam, quæ est titulus hereditatis: hoc autem videtur inconveniens. Nam si præmium potest dignificare ad novum præmium, sequitur absurdus processus, qui in quibusdam casibus admittendus esset, nempe quando secundum præmium esset iterum dignificativum ad tertium, & tertium ad quartum, & sic deinceps: v. g. (est exemplum Lugonis) proponat Rex præmia militibus hostem victuris, diversa tamen pro diversitate statûs, & conditionis: plebeis quidem det statum nobilium, nobilibus Baronum, Baronibus Comitum, Comitibus Marchionum, Marchionibus Principum &c. jam si Plebeius vincat hostem, ipso facto fit nobilis: ergo si hoc præmium dignificaret ad statum Baronis, jam etiam fieret ex Nobili Baro, & sic deinceps, & sic omnes denique fierent Principes, adeoque æquales, qui antea erant inæqualissimi: sicut ergo in hoc casu Nobilitas accepta in præmium, non dignificaret ad Baronatum, quia ipsa fuit præmium ad æquatum in plebeio, ita & multo minus Gloria prima, quæ est plus quam præmium ad æquans meritum, dignificabit ad Gloriam tantquam præmium distinctum. Hinc

887. Probatur Conclusio 2. à priori cum Card. de Lugo n. 53. Nam contra naturam meriti est, dignificari à suo præmio pro eodem instanti. Præmians enim non movetur à suo præmio, sed ab ijs, quæ præmiandus affert de suo ad acquirendum præmium: atqui in casu de quo disputamus, primam gratiam non affert præmiandus de suo; ergo non potest movere præmiandem ad dandum præmium propter illud ipsum

opus, propter quod præmiandus accipit primum gratiam. atqui dignitas operis debet movere præmiandem: ergo prima gratia non potest dignificare ad ulterius præmium illud ipsum opus, cuius est præmium.

898. Obijciunt vnicè Canon 32. sess. 6. Concilij Tridentini, qui sic habet. Si quis dixerit, ipsum justificatum bonis operibus quæ ad regnum Dei gratiam, & JESU CHRISTI meritis, cuius viduum membrum est, fieri, non veri meriti augmentum gratiæ, vitam eternam, & ipsam vitam eternam, si tamen in gratia decesserit, consecrationem, atque etiam Gloriæ augmentum, anathema sit. Ut illud maxime ponderatur, quod de Gratia loquimur dicatur, iustum mereri illius augmentum de gloria verò seu vita eterna, dicatur, quod homo mereatur & vitam eternam, & ejus augmentum: ergo juxta Tridentinum etiam prima gloria cadit sub meritum de condigno, aliisque frustraneum est illud membrum.

Caterùm vt bene advertunt DD. Adversarij nihil patrocinatur hic locus, si bene consideretur, sed omnibus explicandus est. Nam licet adversarij, quantum ad gloriam velint illam operationem intelligere de vltima dispositione ad justificationem, hoc tamen nullâ ratione dici potest. Loquitur enim totus Canon de operibus factis in gratia, ut consideranti liquet. Atqui fatentur omnes, nos non mereri primam gloriam per opera facta in gratia: ergo non advertitur canon nobis magis quam adversarijs, hunc sincerè judicare. Superest ergo dicendum, quæ sit ejus legitima interpretatio.

899. P. Martinus Esparza duas novæ interpretationes, modòque defendendi, eodem modo mereamur de condigno primam gloriam, assert, quarum neutra videtur satisfactæ.

Prima est hæc. Jus ad Gloriam, quod convenit justificato ex vi suæ justificationis seu primæ gratiæ, non est omnino absolutum, sed quodammodo conditionatum, & verè capax exceptionis, atque adeo pendens adhuc à futuro, quoad suum vltimum complementum, & non omnino absolutam obligandi Deum ad retributionem Gloriæ, ut patet ex illa particula Concilij: Si tamen in gratia decesserit. Omnia ergo pertinent, & eo modo pertinent ad complementum ejus juris, & exclusionem ejus exceptionis, quæ conferunt, & quomodo conferunt ad perseverantiam finalem in gratia. Opera autem justificati conferunt ad perseverantiam finalem in gratia, duplici ratione. Primum enim, per opera bona superaddita post justificationem, accipitur meritorie gratia habitualis, cum augmento proportionali omnium virtutum infusarum. Quò autem majorem gratiam quis habet, intensioresque virtutes, eò est melius dispositus ad perseverandum finaliter in gratia. Deinde, opera

opera bona iustificati excludunt in genere causæ formalis actus vitiosos, unicuique eorum oppositi-
tos, & impeditivos perseverantiæ finalis in gra-
tis; & quod plura, & pluries huiusmodi impedi-
tione excluduntur, eò redditur certior perseve-
rantia finalis, ac proinde stabilitur magis, mi-
nusque subest exceptioni Jus præexistens ad
gloriam. Frequenti porro usu receptum est, ut
ea, quibus ultimo completur Jus aliquod, atque ab
exceptionibus, quibus ex se subest, absolvitur,
exceptionem idem Jus, sicut univèrsim in rebus quo-
que alijs, unusquisque effectus tribuitur com-
plenti ultimo virtutem inductivam ejus. Ita
ille.

900. Toto hoc discursu concessio & per-
pensis, non videtur vllatenus satisfactum præfenti
difficultati. Præfens enim difficultas non versa-
tur in eo, ut explicetur, quomodo actus meri-
torij facti in gratia, conducant quomodocunque
ad consecutionem vitæ æternæ, sed, an, & quò-
modo vitam æternam mereantur de condigno,
quod est longè diversum à priore. Torus autem
discursus tandem sinit in declaratione prio-
ris, & ne verbulo tangit punctum posterius. Quòd
autem illa sint longè diversa, facile ostenditur.
Imprimis, nullo opere Bono meretur de condi-
gno perseverantiam finalem; & tamen opera Bo-
na conducunt ad perseverantiam finalem duplici
modo prædicto. Quòd autem non mereamur
perseverantiam finalem, ratio est, quia quidquid
dehinc meremur nobis ipsis de condigno, infal-
libiliter consequimur: nullum autem opus Bo-
num habet hoc privilegium, ut post se infallibi-
liter trahat perseverantiam finalem: Ergo aliud
est, conducere quoquo modo ad complementum
Juris ad gloriam, quod est perseverantia finalis;
& aliud, mereri illud complementum de condi-
gno: hoc posterius nulli operi bono convenit.
Deberet autem convenire, ut diceremur hoc
modo mereri de condigno primam gloriam. Bre-
viter. Ultimum complementum Juris ad glo-
riam, non est illa facilitatio inducta per frequen-
ter actus virtutum, sed est ipsa Mors obita in Gra-
tia; hæc autem non cadit sub Meritum de condi-
gno, ut omnes docent.

Uterius; si discursus relatus bonus esset,
posset quis sine inconvenienti dicere, quòd opera
honestæ naturalia, elicitæ in statu gratiæ, mere-
rentur aliquo modo de condigno vitam æternam,
quia etiam conferunt aliquo modo ad perseve-
rantiam finalem, quatenus remouent actus op-
positos; ergo si hoc non sufficit, nihil assigna-
tum est, ex quo probetur meritum de condigno.
Ex hæc circa primam novam rationem. Audia-
mus etiam secundam.

901. Dicit præterea potest (inquit P. Mar-
tinus) præscindendo à Concilio, Adultum, præ-
eunte propria dispositione iustificatum, eo ipso
mereri de condigno primam gloriam seu vitam

æternam quoad substantiam, condignitate me-
rentis, licet non mereatur eandem de condigno
condignitate Operis Meritorij. Sensus est: quòd
homo per ultimam dispositionem aliquo modo
(hoc est saltem de congruo) meretur Gratiam
& Gloriam: & quia illi in eo ipso instanti super-
additur gratia, per quam fit dignus gloria, potest
dici meritis esse gloriam de condigno, non con-
dignitate operis, sed operantis.

Cæterum, hæc doctrina & facit quæstionem
de modo loquendi, & non servit ad explicatio-
nem Canonis, quod agnoscit P. Martinus illis
verbis. *Præscindendo à Concilio.* Ratio est, quia,
ut is ipse docet, Concilium loquitur de actibus
factis in gratia; hæc verò explicatio loquitur de
ultima dispositione ad gratiam. Deinde Conci-
lium turpiter æquivocasset, usurpando in eodem
contextu rationem *Meriti condigni*, in duplici di-
verso sensu; semel pro merito condigno con-
dignitate operis, & deinde pro merito condigno
solum condignitate operantis. Alia ergo inter-
pretatio nobis quaerenda est. Pro qua

902. Adverto 1. Adversarios vnicè vr-
gere, ut ostendatur, quid diversum significant
illa voces: *vitam æternam*: & *augmentum Gloriæ*,
nisi per illud prius significetur prima Gloria: a-
liquin fatendum erit (inquiunt) quòd in illo ca-
none sint aliqua verba superflua. Hæc tamen
adversariorum sollicitudo est nimis scrupulosa;
cùm omnibus fatendum sit, in illo canone esse
aliqua verba eatenus superflua, quatenus idem
diversis vocibus bis dicitur. Dicant enim mihi
adversarij, quid aliud significant hæc verba: *vitam
æternam mereri*: quàm hæc alia: *vitæ æternæ con-
secutionem*? & tamen utrumque ponitur.

903. Adverto 2. Adversarios, ad asseren-
dum, quòd per ultimam dispositionem homo me-
reatur de condigno vitam æternam, induci ex
falsa suppositione, nempe quòd nullus adultus
possit consequi vitam æternam solo titulo hære-
ditatis, sed debeat insuper consequi titulo præmij
& mercedis. & hoc putant definiri cap. 16. ubi
dicitur, proponendam esse vitam æternam, tan-
quam Gratiæ Filijs, & tanquam mercedem pro
meritis. Hoc, inquam, falsum est, ut ex adver-
sarijs fatetur Oviedo & Suarez; posset enim ad-
ultus hodie habere attritionem v. g. vel, si nun-
quam peccavit, actum fidei & spei, cum propo-
sito servandi totam legem, & cras suscipere Ba-
ptismum, ac post Baptismum mori, nullo alio actu
interveniente: quo casu, sicut nullo actu merere-
tur de congruo primam Gratiæ, ita nec vitam æ-
ternam; & tamen salvaretur, adeoque Beatitudinem
consequeretur solo Titulo Hæreditatis. Itaq; loco
citato solum præcipitur, ut proponatur vita æterna
ut Merces hypotheticè, videlicet, si ponantur meri-
ta. Nunc ad explicationem canonis veniendo,

R r

904. Di-

904. Dicendum est, Vitam æternam dici primum non ultimæ dispositionis, ut jam superius ostensum est, sed actus meritorij, procedentis in statu Gratiæ, & quidem non vnius solius, ratione conservationis ejusdem in secundo instanti, ut volebat P. Oviedo, sed omnium planè, ut ex adversarijs optimè probat Suarez, & patet ex toto contextu. Hoc autem imprimis sufficienter verificatur, si dicatur, nos per illos actus eatenus mereri vitam æternam, quatenus hæc continetur in quovis gradu augmenti Gratiæ. Neque hic loquendi modus est inusitatus; sic enim dicimus, nos per singula peccata mortalia mereri penam æternam: sic etiam dicitur aliquis per capitale delictum mereri mortem, tametsi independentè à delicto sit obnoxius mortis, & per delictum solummodo mereatur qualitatem & accelerationem mortis.

905. Neque obstat, quòd Concilium diversimodè loquatur de Gratiâ & Gloria, ut in objectione urgebatur, nempe quòd non dicat, nos mereri Gratiâ & ejus augmentum, sicut dicit, nos mereri Gloriam & ejus augmentum. Nam ad hoc duplex est Responsio.

Respondetur primò, hoc discrimen esse, quòd dum meremur augmentum Gratiæ, Gloriam necdum possideamus in se, sed tantum in sua radice, seu in suo jure, hoc est Gratiâ, & quidem in jure solum conditionato, ut supra notatum est. At verò, quando meremur augmentum gratiæ, gratiam jam habemus pro priori natura. Jam verò ex communi modo loquendi solet ratio Præmij tribui illi rei, quæ nondum habetur in se. (licet habeatur in sua radice) & cujus largitio necessaria est ad obtinendum illud, quod formaliter promeremur; non ita solet ratio præmij tribui illi rei, quam jam actu in se possidemus dum meremur. Declaratur in exemplo. Filius legitimus, ratione filiationis habet jus ad hereditatem, saltem quoad legitimam, v.g. trientem: quodsi accedant merita, ob quæ illum pater scribat heredem ex asse, potest simpliciter dici factus hæres ob merita sua; e contra, si habeat à patrefamilias peculium aliquod, & cum illo ita negotietur, ut peculium augeat, non rectè diceretur per negotiationem acquisivisse peculium, sed solum auxisse peculium, quia scilicet ad negotiationem præsupponitur actu habere peculium, non tamen ad hereditatem ex asse consequendam præsupponitur consecutus esse trientem, sed tantum in spe, & jure quodam conditionato: nisi sua culpa mereatur exheredari. Sic se res habet in nostro casu: nam Gratiæ augmentum quod formaliter meremur, non potest acquiri sine gloria quoad substantiam, nec possidetur gloria quoad substantiam in se tunc, quando promeremur augmentum gratiæ, sed solum possidetur in spe & jure conditionato: e contra, dum meremur augmen-

tum Gratiæ, jam actu præsupponitur possidere Gratiâ quoad aliquem gradum. ergo ostenditur, cur Gloria dicatur simpliciter esse præmium, autem Gratiâ ut sic.

906. Responderi potest 2. Cum Cast. de Lugo & Arriaga, diversimodè comparati meritum nostri operis ad augmentum Gratiæ & Gratiæ. Nam augmentum Gratiæ ita meretur, ut nullo modo possimus Gratiâ mereri de condigno, nisi præsuppositâ aliâ gratiâ sine meritis de condigno habitâ, quam quidem possimus merendo augere, non tamen primò producere. At verò bonis operibus in gratia factis, ita meremur gloriam, ut etiam si Deus noller dare gloriam, intuitu gratiæ precedentis habitæ merito, adhuc opus factum in gratia meretur vitam æternam & gloriam: E contra, ideo non dicimur promereri gratiam, sed augmentum gratiæ, quia illud meritum bonum non sufficit ad finem gratiæ, sed, ut sumus gratiores, eo quod sumus grati.

DICES. Si res ita se habet, non debet Concilium plus dicere, quàm quòd meremur vitam æternam, nihil addendo de augmento ejusdem. R. Concilium non immerito destinxisse inter vitam æternam, & ejus augmentum; nempe, ut specialiter damnet hæreticos qui ita negant nos mereri vitam æternam, ut etiam si hoc concederent (prout forsitan alii concesserunt) adhuc negarent augmentum Gratiæ, seu Gloriæ inæqualitatem in Beatissimis, provenientem ex inæqualitate meritorum: in qua finem adducunt Parabolam de denario dummodo aequaliter soluto inæqualiter laborantibus.

CONTROVERSIA IX.

Vtrum Actus nostri possint ab extrinseco participare formaliter rationem Meriti. ubi etiam: de conjunctione cum meritis Christi.

907. Quæstio movetur, quo sensu accipienda sit celebris illa doctrina Alcerarum, qui hortantur, ut quis ad exordium diei omnia sua opera, quæ toto diei decursu facturus est, offerat ad Gloriam Dei. Quæstio, inquam, nata est, quid circa opera postea subsequencia operetur illa prima intentio generalis? an operibus subsequentibus tribuat aliquam vim merendi & merendi præmium? Nisi enim ad hoc servetur illa intentio relativa operum ad Gloriam Dei, non apparet, quam utilitatem tantopere commendabilem habeat.

908. Dicendum est primò. Operibus extrinsecis, hoc est, non formaliter liberis, nihil recedit ab hujusmodi intentione. Conclusio sufficiens.

cienter probata est libro præcedente, ubi agentes de actu externo, diximus, nos per illum nihil formaliter mereri ultra meritum actus interni im-
perantis. Multò minùs poterit actus externus, non imperatus ab intentione univèrsali, partici-
pare rationem meriti ad majus præmium.

909. DICO 2. Actus interni liberi, ex proprio objecto directo indifferentes, (de quibus maxime procedit præsens questio) nullam participant vim merendi ab intentione ordinati-
va hujusmodi actuum ad gloriam Dei. Probatur Conclusio ex dictis de conceptu Meriti in ge-
nere. Vbi non est nova & victoriosa arduitas ac electio honestatis, quæ talis, non est novum meritum, nec augmentum præmij. Sed, quan-
tumvis præcesserit hujusmodi intentio ordinati-
va, inde tamen actus indifferens subsequens non firmius victoriosus & electivus honestatis, quàm esset, si talis intentio non præcessisset. Non enim potest intentio præcedens facere, ut actus subsequens habeat aliud objectum, quàm quod habet per essentiam suam. Ergo &c.

910. DICO 3. Neque Intentio præterita potest facere, ut actus subsequentes honesti ex proprio objecto habeant simul adjunctam specialem honestatem ex motivo intentionis præteritæ, sique plus mereantur, quàm mererentur sine illa præcedente intentione. Paret Conclusio ex præcedentibus. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundùm quid ad secundùm quid, atqui intentio præcedens non potest simpliciter communicare formalem honestatem actui ex se indifferenti: ergo nec potest actui honesto communicare aliam formalem honestatem. In favorem tamen doctrinæ Asceticæ & ad verum intellectum illius.

911. DICO 4. Hujusmodi intentio ma-
tutina eatenus conducit ad augendum præmium per actus subsequentes, quatenus occasione spe-
ciorum recentium ab illa relictarum, in memoria faciliùs reiteratur intentio quædam tenuis, con-
fusa vel implicita honestatis præintente, suffi-
ciens tamen ad laudabilitatem & meritum: so-
letque hujusmodi implicita intentio exprimi his vel similibus verbis: *Volo hoc facere, ut expleam, quod hodie proposui, ut consequar finem intemum ho-*
die. Declarabitur hæc Conclusio, quando age-
mus de Virtuali intentione Ministris in admini-
strandis sacramentis. Nunc

912. Resolvitur alia non absimilis quæ-
stio, utrum nostra opera bona ex conjunctione cum meritis Christi, habeant formaliter plus me-
riti ad consequendum plus præmij, quàm conse-
querentur, si sine meritis Christi elicerentur.

Prima Sententia affirmat. Ita Cajetanus, Sotus, Ruardus, & alij. quos refert & sequitur P. Suarez, eam prolixius declarans, ac extendens

non solum ad augmentum gloriæ accidentalis, sed etiam substantialis. Secunda negat, quàm ex professio propugnat Vasquez 1, 2, disp. 214.

913. DICO 1. Loquendo de possibili, valde probabilis est prima Sententia. Probatur à pari. Defacto infantibus confertur ex solis Christi meritis Gratia & Gloria, ergo posset Deus ex iisdem Christi meritis conjunctis nostris meritis dare plus præmij, cum illa sint infiniti valoris.

914. DICO 2. Si Deus hoc modo con-
fetter plus Gratiæ, non diceremur verè & prop-
riè illud augmentum mereri de condigno, pro-
pter conjunctionem cum meritis Christi; adeo-
que posset Deus sine miraculo hoc augmentum negare. Probatur. Non enim in præmio con-
digno retribuendo attenditur Dignitas extrin-
seca, sed quæ est propria personæ operantis.

Respondet P. Suarez, hominem justum, hoc ipso quodd accepit Gratiâ sanctificantem ex meritis Christi, & per eandem gratiam aliquo modo unatur Christo, fiatque vnum corpus cum illo, hoc ipso, inquam, accipere etiam dignita-
tem aliquam specialem à persona Christi, pro-
pter quam & Deo amabilior sit, & in majori præ-
tio habeatur. Nam Filius Amici, quantumvis ob proprias qualitates amabilis, amabilior tamen est, quia est filius amici: ergo etiam nos amabi-
liores sumus Deo, quia fratres sumus Christi fi-
lij naturalis. Sic etiam mulier nobilis per ma-
trimonium Regis, fit in estimatione morali no-
bilior: sic per contactum physicum Reliquiarum Sanctarum, nobilitantur res aliæ non sanctæ.

915. Sed contra. Hoc quod est: pergra-
tiam nos fieri vnum corpus cum Christo, & fra-
tres ejus; reipsa aliud non est, quàm nos primam Gratiâ consequi ex meritis Christi; per hoc autem non videtur crescere dignitas ad majus præmium illo, quodd acciperemus, si Gratiâ haberemus independentem à meritis Christi. sic-
ut, si quis acciperet nobilitatem immediatè ab Imperatore, non propterea pretiosiora forent ejus merita, quàm si ex stirpe Nobilis esset.

916. Confirmatur. Si enim hæc conjun-
ctio cum Christo tanquam cum capite, dignifi-
caret opera ad Gratiæ augmentum, posset simili-
ter dici, quodd Contritio hominis baptizati, ha-
bentis characterem, dignificaretur à conjunctio-
ne cum Christo per characterem ad primam gra-
tiam, & sic mereretur eam de condigno, quod quidem hætenus nemini venit in mentem.

DICES: Hoc non sequi; quia ratione peccati est simpliciter indignus. Sed contra 1. Peccatum in instanti contritionis dimittitur, & homo affert aliquam dignitatem ad primam gra-
tiam; ergo licet ratione peccati sit simpliciter indignus

Rr 2

indignus gratiâ, purè liberaliter conferendâ, posset tamen dici aliquo modo de condigno mereri, casu quo ponat actum ex se meritorium de congruo, cui accedat dignitas à Christo. Contra 2. Ergo saltem si peccatum esset extrinsecè remissum, posset talis de condigno mereri primam gratiam. Item dici posset, in sententia docente, quòd Christus venisset, etiam si Adam non peccasset, dici inquam posset, quòd Adamus meritus esset primam gratiam de condigno, quia pro priori naturæ accepisset ex meritis Christi auxilium præveniens, quo fuisset Christo capiti conjunctus.

917. DICES. Si res ita se habet, ad quid ergo iudari solet, ut nostra bona opera jungamus cum meritis Christi, & sic ea offeramus Patri Cælesti? Vtique enim hoc fit, ut inde valoris augmentum accipiant. R. Illius utilissimæ doctrinæ Asceticæ non posse esse sensum quem replica intendit: sive enim opera nostra per affectum jungamus cum meritis Christi, sive non jungamus, semper habebunt illam dignitatem extrinsecam à meritis Christi, cui o-

perans est incorporatus. Dicendum igitur est, affectum illum conjunctionis habere vim concupiscentis & impetrationis, quatenus per merita Christi petimus, non quidem augmentum gratiæ, sed ut intuitu meritorum Christi, Deus conferat nobis alia beneficia utilia ad salutem, quæ quidem de congruo mereamur, sed non propterea infallibiliter contineamur: quare ut major sit spes ea consequendi, impedit implorare merita Christi juxta Christi promissum: *Quidquid petieritis in nomine meo, dabo vobis.*

Restarent adhuc duæ Controversiæ examinandæ. Prima: utrum ad rationem meriti aliquando sufficere possit prioritas finis, non obstante, quòd præmium præcederet tempore, ut ut meritum anticipatè præmiaretur, sicut præmium potest antecedenter ad mercis exhibitionem solvi. Secunda, utrum purus homo possit de condigno mereri alteri primam gratiam. Has duas questiones expediam in Tract. de Incarnatione, ubi specialem habent utilitatem.

FINIS SECUNDI LIBRI.



CON-